

CRUX ERUDITORUM ORIGO MALI,

Beneuolæ Superiorum consensu,
sub auspiciis

Viri maxime Reuerendi atque Celeberrimi

Dn. ISAACI BÖNKREUND /
S.S. LL. Prof. Ord. h. t. Rectoris
Magnifici,

*Tentamine philosophico exposita,
Et pro rostris Academicis Aboensibus
publice defensa*

a

LAURENTIO STEENBERG
O. Botn.

horis diei 12. Iunii consuetis
A. MDCCLXXXIV.

ABOÆ, exc. R. Ac. Typ. Joh. Kiämpe,

Laurentio Steenberg

NOBILISSIMO DOMINO

**D^N. GEORGIO
MALM,**

SUPREMI IUDICII,
QUOD ABOÆ EST,
ADSESSORI CONSULTISSIMO,
PATRONO
INCOMPARABILI.

Patiare, VIR NOBILISSIME, nominis
TUI splendore tenues hasce exornari
pagellas. Cuius gloria probari illis cupiunt,
qui cum Mafis, id est, cum humanitate
ac doctrina aliquid habent commercii;
cum de nitore tantillo desperent suo. Et
quidni publici fauores eas susciperent,
TUO, DOMINE NOBILISSIME, si niti
quero suffragio? Ea enim eruditionis ac
prudentie singularis laude inter nos flo-
res, ut facile intellizant omnes, me ma-
gnum aliquod consecutum esse, si TUO a-
cumini, TUOque adsurrexerim iudicio.
Respice igitur hoc, quicquid est opelle,
serena fronte; simulque permitte, ut de-
uoti cultus mei perenne statuam monimen-
tum; qui ob maximam benevolentiam,
qua me in dies amplecti dignaris, atatem
maneo,

NOMINIS TUI NOBILISSIMI

Cultor deuotissimus
L. S.

ADMODUM REUERENDO atq; AMPLIS-
SIMO DOMINO,

M. CLAUD. HEDMAN,
Ecclesiarum Vasensium Pastori, &
adiacentis districtus Præposito Gra-
uissimo, Patrono iugi obseruantiaë
cultu suspiciendo,

Vides, VIR AMPLISSIME, quantum
mibi sumam. Opellam, pauperis cul-
tus ipsam sibi optime consciam, NOMINI
TUO CELEBRATISSIMO inscribo; inscri-
ptam publica hac voce offero atque exhi-
beo. Quam mereo audacia notam, eru-
ditio TUA, virtus TUA, supra encomia
mea longe euecta, facile, spero, delebunt.
Ea enim, quanta veneratione deuotus
meus prosequatur animus, documentum
hic aliquod dare valui ac debui.

ADMODUM REUERENDI NOMI-
NIS TUI

Cultor humillimus

L. S.

VIRO PLURIMUM REUERENDO atque
CLARISSIMO,
Dn. NICOLAO
ÆIMELÆO,

Pastori in R^o maiori longe dignis-
simo, Fautori propensissimo, æter-
num æstimando, amando.

EN prodit leta venerabunda mens, oc-
casioneque, hætenus desideratam,
arripit, verba, reuerentia sue testos, fa-
ciendi. Sed vt officii debitum id ipsum
est, sic imprudentia signum videri potest,
cum TUA, VIR CLARISSIME, in me me-
rita verbis exequari nequeant. Magnitu-
dine enim eorum hanc mihi spem plane
præcidisti. Quid igitur? Syngrapham hic ac-
cipe, qua me, per ætatem meam, vlti-
mus obstringo; simulque vitam TUAM vi-
uacitate, & vera felicitatis accessione,
a diuina clementia, ornatam videre, ex
animo opto!

NOMINIS TUI CLARISSIMI,

Cultor obseruantissimus
Laurentius Steenbäck

*VIRO PER QUAM REUERENDO atque
DOCTISSIMO,*

*Dn. IOSEPHO STEENBÄCK/
Sacellano in Ilmola meritissimo,
Parenti longe Optimo.*

*E*A est materia sublimitas, quam exigua haec includunt pagella, ut in nullo magis, quam in veritatis clientela esse desideret. Cum tamen iuxta seculi obsequar moribus, non possum, quin TUI, Parens Optime, fauorem reuerenter ambiam, ut ad hoc primæ foeturae specimen aliquot eius radios benigne spargas. Facis eo, quod tenerrimis Paterni TUI, in me, animi adfectibus conuenientissimum est; meque arctius eterno TIBI gratiarum vinculo obligas: qui vota ardentissima pro TUI salute TUOQUE flore constantè nuncupo.

PARENTIS CARISSIMI.

*Filius obedientissimus
Laurentius Steenbäck.*



PRÆFATIO.

Summa: Utilitate argumenti paucis indicata, contra exemplum gentium, & sententiam plurimorum Christianorum, mali originem recta ratione inuestigari posse docet.

§. I.

ANxium me nonnihil habuit, dum vadum hoc publicæ tentarem famæ, in quo potissimum argumento tenues ingenii vires exercerem. Judicavi enim, oportere ratione præditos, intentione

A ne

ne in soliditate æternitatis fixa, gloriam diuini Numinis, & publicam utilitatem vbique sectari. Ac plurima erant argumenta, quæ eo collineare videbantur. Inclinatione tamen præcipua, in præsens hoc, *de mali in mundo ortu*, propendebam. Quo etiam nihil, quantum animo complector, præclarius est, ad diuinas illustrandum perfectiones. Et præterea tanto sese vsu, ad omnes redeunte, commendat, vt, hoc rite intelligere, initium veræ sapientiæ sit atque felicitatis. Est quidem id ipsum magnæ molis, & quod profunda viro- rum ingenia, multiplici hæc- nus torfit ambage. Verum enim cum is non sim, cuius va- getur animus errore, nec habeat, quod hic sequatur: luce intellectus, quam nobis diuina bonitas ad lustranda opera sua concessit,

cessit, quid demum hic statuendum sit, sincere inquiram. Tu autem Lector, qui iudicio flores, qui piam virtutem amas: non enim alios moror: res, rationum, non auctorum numero firmatas, æqua mentis expende lance; de verbis non anxie sollicitus, quæ famulari rebus iussi.

§. II.

Equidem operæ pretium non facerem, si ea, quæ in antiquis gentium scholis de mali origine disputata sunt, prolixè recenserem. Cum enim illorum Philosophi rationem, peruersis ipsorum intuscatam studiis, ducem secuti vnicam sint, veritatem, quæ in alto, hic in primis, inuoluta latet, inuenire nunquã potuerunt. Deum mali causam non esse, apud moratiores adeo erat in confesso, vt, qui hoc

4
diceret, eum e ciuitatibus eliminandum iudicarint. Ea tamen omnes rationis decreta reliquerunt, quæ infinitis Dei perfectionibus immane quantum derogant. Sufficiat speciminis loco illud, de duplici rerum principio, bono & malo; quod primum apud *Perfas* excultum, Philosophi, directe alii, alii indirecte, integro velut agmine, sunt amplexi. Et, ut tæcunditas erroris est, ab his ad ipsos Christianos, cum aliis quisquiliis, sententia hæc dimanauit. Inter quos *Manichæi*, a *Manete* *Perfa* oriundi, eandem ad fastigium quasi euexerunt, vnde postmodum dualismo huic nomen inhæsit *Manichæismi*. Quamuis autem dogma hoc, ad lumen tantum rationis rite expensum, cuius detestabile, vel eo nomine fieri possit, quod ideam, quam homines de summa

ma

5
ma Numinis perfectione habemus, penitus euertat. Vnde etiam antiquis temporibus *Alexander Lycopolita*, *Didymus*, *Augustinus*, quem flagellum merito dixeris Manichæorum, argumentis, ex philosophia petitis, id ipsum oppugnarunt. Fuerunt tamen nostro æuo, qui non tantum imbecillitatem luminis rationis, in conuellendo hoc, demonstrare allaborarint; sed simul contenderint, rationem sibi relictam, in mali causa & origine, nullo modo se expedire posse, nisi systema tale adoptetur. Egit hoc, non sine magno adparatu, Vir vastissimæ eruditionis *Baylius*, sub variis articulis in Dictionario historico-critico, insigni sane opere; sed quod cautos desiderat lectores. Eoque celeberrimus auctor occasionem dedit recentioribus in mali natales penitus in-
inqui-

inquirendi. De quorum tamen conatibus, aut scriptis, ego nihil fere dicere habeo, cui, ob curtam hic ubique rei librariæ suppellectilem, ea ne videndi quidem copia facta est.

§. III.

Suis limitibus circumscriptam esse rationem nostram, qui ratione vtuntur, facileprehendunt. Id igitur non concedendum, ubi rei, ad se pertinentis, sublimitatem ipsa nondum æquat, vt ea admittat, quæ suis aduersantur principiis. Num autem genuinam mali originem inuestigare possit, anceps videtur esse disputatio. Iusserunt quidem summi Viri rationem hic, cum suæ ignorantia ac imbecillitatis professione conticescere: contendentes, frustra alibi, quâ in Mose, eius quæri originem.

At

At vero, quid in quaestione potissimum sit, hi non attenderunt. Nimirum: non quomodo malum actu in mundo primum existerit: sed quomodo salua diuina sapientia, salua sanetitate, oriri vnquam potuerit. Hoc est, quod *quaestionem iuris* vocamus. Et hoc mihi, quicquid aliis videtur, recta exponet ratio, proprium illud hominis bonum, diuinas iustificando perfectiones; dum *inuisibilia Dei*, vt in sacris Apostolus loquitur, ex representata a sensibus mundi machina, certo & euidenter perspicit. Cum id voluerit sapientissimus conditor, vt haec adparentia, non minus suarum perfectionum, quam existentiae sint specula. Si quid tamen ratio circa specialiora hic haesitauerit, licebit mihi, altero quasi oculo, *reuelationem*, sacris comprehensam litteris, certissima

mæ instar phari, intueri. Id quod Philosophis aliis, cognitione reuelata imbutis licuit: qui occasionem inde sumerunt rationem suam magis intendendi circa veritates fori sui, confuse antea cognitæ; & quod de illis ex ea cognouerunt, in philosophiam, sine mixtione tamen principiorum, intulerunt.

Seçtio Prior Ihetica.

Summa: initium mundi ex diuinis deriuat perfectionibus, ex similitudine autem & limitibus, quos ipsa res create sibi in mundo posuerunt, possibilitatem mali moralis remotam, ex hac porro actualitatem contingenter oriri posse, ex ratione demonstrat, adiunctis iis, que de lapsu Adamitico reuelatione patefacta sunt; denique nexum mali moralis cum physico euincit.

§. I.

A Deo omnes in cognitionem
Dei

Dei propendemus, vt nihil nobis sit frequentius, dum oculos per vniuersum hoc theatrum circumferimus, quam cogitare ens illud omnium primum, in quo sufficiens ratio mundi, nostræque ipsorummet existentiae datur. Hoc ipsum ens, quoniam nullam sui causam agnoscit, sed virtute essentiae suæ, sine alterius interuentu, existere sufficiens est, sumas, quæ cogitari possunt, perfectiones necessario, & ab æterno possidet. Illa enim consummatissima perfectionum possessio, sine successione, sine mutatione, aut vicissitudine, ipsa diuina mihi est æternitas. Ex hoc porro efficitur, vt, per hanc naturam suam & essentiam, supremum hoc ens, quod vsitato vocabulo Deum adpellamus, sit simul actuosissimum. vimque habeat infinitam, tum agendi in
le

se cum sui conscientia, tum res efficiendi extra se. Primum autem quod Deus extra se produxit, præsens hic, quod quidem nos sciamus, mundus est, quem etiam ideo existentia suæ rationem in ipso habere dixi. Sed quomodo intellectui ac voluntati diuinæ, potentia eius, ad mundi productionem, se quasi subordinauerit, altius repetendum esse videtur. Absit modo hic, vt rationis compositione, quam nobis, nostræ interuendo infirmitati, facimus, aliquid Deo tribuamus, quod ipso indignum esset, in quem nulla omnino compositionis species cadit. Ponimus itaque ideas, a quibus res, actu iam existentes, essentiam & formam suam acceperunt, in intellectu diuino, tanquam fonte suo, ab æterno fuisse. Cumque eas omnes, vno actu

actu simplicissimo & adæquato, Deus sibi distincte repræsentauerit vti optimas, inter omnes alias possibiles, & ad fines, essentia suæ conuenienter constitutos, maxime aptas, liberrimo voluntatis nutu existentiam illis actualem superaddere decreuit. Atque eo ipso, quod hoc decreuit, res omnes, vi infinitæ eius potentia, quales cum tempore primum exstiterunt, productæ quoque sunt. Quæ mutatio non Deum ipsum attigit; sed obiectam, quod diuinæ potentia applicatione, ex regno mere possibilium, in regnum vere existentium, est translatum.

§. II.

PRono iam ex dictis alueo consequitur, seriem hanc rerum omnium sapientissime inter se connexarum, quam mundi nomine

mine insignimus, esse optimam, esse in suo genere perfectissimam. Absolute tamen perfectissima non est; cum talis perfectio soli Deo conueniat, non autem rebus creatis, quarum proprium est, certos perfectionum terminos seu limites habere. Neque enim præstare potuit Deus aliquid extra se, quod non ab illo distinctum esset, i. e. quod innumera non haberet, quæ ipse tamen possidet. Alias sane Deus deum condidisset, mundusque ipse Deus esset; cum ea vnum idemque sint, sub diuersis nominibus, quæ penitus non possunt distingui. Realitates itaque siue perfectiones, quæ rebus insunt, eas singulæ a potentia Dei habent. Sed quoniam capacitas illarum physica finita tantum est, ad mutuam dependentiæ in systematico nexu coordinationem aptata, li-

mita-

imitationes, seu penuriam vlterioris perfectionis, a propria habent natura; qua fit, vt ultra vires suas euehi non possint. Sed quare res iam vna, sic potius, non aliter, affecta, præstari per potentiam potuerit diuinam, ratio subinde in altera inuenitur, ex nexu illo certo, quo se inuicem respiciunt, altera alteri inferuendo. Hinc etiam res tales aut tales a nobis adpellantur, quia his illius limitibus sunt coarctatæ, qui illas a se mutuo distinguunt. Ex eo autem suauissimo, in tanta varietate, consensu, quem singulæ, pro perfectionis suæ modulo, efficiunt, admiranda illa, quam mundo tribuo, summaque oritur perfectio.

§. III.

Qui oculis, solidiori armatis doctrina, proxime antecedent-

dentia perlustrauerit, facile animaduertet, ea non longius petita esse; sed ipsam, quam quaero, mali originem, in iis quodammodo fundari. Liceat igitur generalem illam rerum creaturarum limitationem, ac simplicem imperfectionem, ex finitudine earum pendentem, voce a vulgari vsu nonnihil inflexa, *malum* adpellare *metaphysicum*. Quod licet sit innocentissimum, nihilque aliud dicat, quam rerum perfectionem secundum quid; cum hoc tamen *malum*, quod vocatur *morale*, quoad possibilitatem, remotam saltem, non propinquam, cohærere, ex sequentibus perspicue adparebit. Non quidem id ex intentione diuini Numinis, nedum ex influxu eius aliquo; vnde tantum res, illarumque agendi vires repetendæ sunt: sed ex defectibus,

quos

quos, ceu cancellos, natura finita rebus ponit, actionumque modos ratione graduum temporis, & locorum determinat. Per *malum* autem *morale* errores intelligo atque peccata rerum creaturarum intelligentium, a norma sua, quomocumque manifestata, discedentium. Earum enim solum hæc prærogatiua est, ut quæ iuste præscripta sunt perspicere, & ad ea se componere possint. Vides sic animæ, cui, tanquam formæ, proprium est operari dare, respectu intellectus & voluntatis, actiones humanas esse adscribendas. Cumque omnibus substantiis vis suo modo agendi competat, actiones etiam animæ a fonte domestico manare certum est. Id quod ipsius libertatem, & a necessitate atque coactione immunitatem, manifeste arguit. Hæc autem libertas mihi

hi, saluo aliorum iudicio, peculiaris erit animæ adfectio, qua, pro arbitrio, aut ad iudicandum, aut eligendum, aut agendum, determinamur. Communem enim eam esse animæ facultatibus, qui rerum suarum plane ignarus non est, facile apprehendit.

§. IV.

Suppone iam liberum eiusmodi hominem, qui prælucente intellectu, & voluntate legitime decernente, agere potest. Quæro, quomodo errare possit, & malum agere. Celeberrimi Viri, qui hic abusum libertatis allegant, neque mihi, neque solidiora edoctis sua satisfaciunt explicatione. Dum enim libertatem, quam voluntati tribuunt, per indifferentiam ad vtrumque oppositorum, cum inclinatione

ta-

tamen quadam ad bonum, explicant, prope abest, ut Deum mali confortem faciant. Necessarium enim eo homini ad cultum diuinum fuisse indicant, ut possit peccare & malum agere. Quid? quod ipsam voluntatis naturam sic destruunt, quæ in grata boni relatiui sensatione passive tantum se habet, & non potest non illud adpetere. Malo autem repræsentato, necessario id auersatur. Libertas enim illa, quam supra homini tribui, ipsi solum competit ante repræsentationem rei sub ratione boni aut mali. Si autem voluntas malum adpetit, præuio id intellectus errore facit, qui adparens bonum pro vero bono accipit. Non quidem semper ex formali ignorantia, sed interpretatiua, & quadam inconsiderantia. quod ulterius sic expono. Intellectum

Dei immensam veritatum omnium regionem venerari decet; unde, in angustissimas humanæ capacitatis areas, veriores quædam notiones, pro felicitatis eius mensura, migrarunt. Finitus enim intellectus omnia cognoscibilia comprehendere non potuit: quoniam id in creatis manifestam inuoluit contradictionem. Patet itaque hominem in multis rebus, quarum certam notitiam experientia, vel alia ratione, nondum consecutus est, confusas, & non distinctas, ideas fouere. Cumque ex eis non minus, quam euidentiis boni repræsentationibus, potestatem se determinandi habeat; rem vnam pro altera cito sumere potest, dum singula rei merita rite examinare intermittit, aut rei præsentiam, de qua legitime instructus est, non adeo animad-

ue-

uertit. Huc accedit, naturalis ille sui amor, per quem homo se semper beatiorem conspiciere gessit, pronusque in id fertur, quod statum illius noua accessione perficere videtur. Quo fit, vt magis ad præstantiam consequentis eius utilitatis, quam ad vim alicuius veritatis, animum adtendat. Et hoc modo ordo, quo labi homo potuit, optime intelligitur. Libertatis autem, nostro modo explicatæ, concursus hic agnosco, non in actu quodam eius positiuo; sed in neglectu, & non-vsu facultatum a Deo homini concessarum.

§. V.

NON censendi sumus, extra sphaeram actiuitatis propriæ prodiisse, si his, quæ generatim ratio, de mali, inter homines existentis, ortu tradit,

ea adiungimus, quæ in specie hic ex reuelatione haberi possunt. Ex huius enim testificatione peruersitatis origo vnice hauritur, quatenus est res facti præterita, quæ ex libera pependit agentium voluntate. Et si quid veri gentium fabulis, de primo hominis lapsu subesse videtur, ex fama, aut commerciis cum Iudæis, id habuerunt. Hoc autem mundi nascentis historicus docet, quod Deus, colophonem operibus suis impositurus, hominem, tanquam præcipuum mundi adspectabilis incolam, condiderit, vberimos bonitatis suæ riuulos in eum deriuando. Si enim naturam eius in se spectaueris, integra fuit, omnis omnino vitii experta fuit. Huic vero integritati, eas intellectus & voluntatis perfectiones addidit Deus, quæ proprie diui-

diuinæ imaginis nomine veniunt. Licet sic homo, qua corpus, atque animam, in suo genere fuerit perfectissimus: erat tamen homo, nec ea cogitanda de illo sunt, quæ modum hominis excedunt. Scientia illius suis terminabatur finibus, nec ignorantiam puræ, quam vocant, negationis excludebat. Vnde ulterius perfici potuit per reuelationem, per experientiam & propriam obseruationem. Exemplum prioris, præter alia, in lege illa personali, Adamo data, habemus, de non comedendo fructu arboris scientiæ boni & mali, quæ protoplasto naturæ viribus innotescere minime potuit. Posteriori autem modo dum scientiam suam augere voluit, experimentandi arte eum non rite vsum fuisse, tristis nos omnes euentus docuit. Cum enim

frau-

fraudentus collocutor, cuius naturam sibi nondum notam esse cogitare homo potuit, sensuale bonum, per sensus confuse primum cognitum, proposuit, conuersione voluntatis ad se ipsum, & ex adfectu oblectationis, quem iucunditas vetitæ arboris excitauit, legem protoplastus diuinam, perfectæ scrutationis intermissione, temeravit, eheu peruertit! Atque hinc nobis illæ lacrimæ! His mali moralis possibilitas ex limitationibus proposita esto. Vtteriora desiderantibus nostram explanabimus sententiam, si placido & erudito nos dignari colloquio velint.

§. VI.

Malum morale, seu peccatum, premit indiuidua comes *malum*, quod vocant, *physicum*. Cum enim Deus vi perfectio-

tionum suarum, ea, quæ intuitu naturæ ac status hominis perfectissima esse iudicauit, ipsi agenda præscripserit; non potest non statum suum homo deteriorem reddere, dum aliter agit. Et quicquid hoc efficit, id notio mali huius inuoluit. Quid? quod per eiusmodi pœnæ consecutionem compensanda necessario est turbatio illa ingens, quam legis violatio in rebus parit. Neque enim pœna simpliciter aliquid mali importat; sed secundum quid, respectu nimirum hominis, cuius malefactis ea debetur. Diuiditur autem communiter *in pœnam damni & sensus*. de cuius diuisionis expositione cum inter eruditos non conueniat, ego, qui litem, vti hic considerata venit, ex solius rationis principiis ad liquidum perducere non posse video, tenuioris mei iudicii summam non addo,

Se-

Sectio Posterior Antithetica.

Summa: *Sequentes explicat quæstiones; Cur Deus non ita creavit hominem, ut labi non posset? Quare eum in bono non statim confirmavit? Cur mundum, quem tantis inuolutum iri malis præcedit, condidit? Denique, cur malum permisit?*

§. I.

CHristiani illi, qui de Deo, eiusque attributis omnia audacter loquuntur, & in præsentia in primis re, domitianas, ne quid grauius dicam, quæstiones mouent, confundantur, auditis his philosophi gentilis verbis: *nunquam nos verecundiores esse debere, quam cum de Deo agitur. Si enim in omne argumentum modestiæ fingimur, dum de sapientissimi Principis actionibus iudicamus, quanto id magis tacere decet, dum supremi Dei opera*

CON-

contemplamur, ad cuius immensam sapientiam hominis comparata, vix alicuius puluisculi rationem habet? Sin autem ego, cinis & pulvis, hic aliquam quæstionem addidero. faciam id, ne ex umbratili veritatis theoria, praxis officiorum. hinc fluens, incerta maneat. Neque enim cordatoribus paradoxum hoc videri potest: *omnem scientiam, quanto magis est speculatiua, tanto magis esse practicam*. In declarationem igitur superiorum non inutiliter quæritur: Cur Deus non ita hominem condidit, vt labi non posset? Illud probe tenendum est, licet diuinæ perfectiones in se infinitæ sint, exerceri tamen eas secundum proportionem obiectorum, quæ finito modulo, efficaciam Dei excipiendo, eam in, & ex se circumscribunt. Neque indignum id Deo est, quod

a rebus eius determinetur operatio; cum eo longe indignissimum esset, si ipse eam suis restringeret terminis. Itaque persuasus sum, hominis naturam vltiorem non admisisse perfectionem, quam ab initio rerum consequebatur. Frustra igitur de hominis labilitate quereris, nisi inique culpam in Deum transferre velis.

§. II.

Sed occupat animum tuum aliud dubium, an Deus vnquam intenderit perseuerantiam hominis in bono. Intendit omnino, quatenus omne bonum, quod per vires cum homine communicatas, præstari potuit, effici etiam voluit. At sufficientes erant vires hominis ad hanc perseuerantiam cum præclara illius rerum necessariarum notitia, coniuncta cum voluntatis integritate, aptū
eum

eum reddiderit ad eligenda semper, & consecranda quæuis optima. Cum autem indoles naturæ rationalis requireret, ut harum virium adplicatio arbitrio hominis relinqueretur, intermisso earum genuino usu, ipse sibi homo defuit, iacturamque suæ fecit integritatis. Potuit, pergis, Deus hominem in istis bonis ita confirmare, ut labi non posset, quod exemplo bonorum Angelorum constat. Non sunt vlllo modo diuinæ perfectiones sibi inuicem opponendæ, quarum summa & admiranda est consensio. Cum igitur diuina sapientia convenientissimum iudicaret, secundum certum ordinem cum hominibus agere, per omnipotentiam suam ab illo discedere non potuit. Præmium confirmationis, quod velut aliunde cognitum addo, concedendum de-

demum erat, postquam homo suum erga Deum obsequium rite esset probaturus. Et sic quoque perseverantem Angelorum obedientiam, confirmatio in bono, statusque ille excepit gloriæ, in quo ea consecuti sunt, quæ in statu gratiæ ad summam deerant perfectionem.

§. III.

QUoniam autem Deus infinita ea mala, quæ hominis lapsum infecuta sunt, certissime, & ab æterno vidit, existimas porro, melius forte fuisse, si mundus hic creatus non fuisset. Iniquus maxime operum diuinorum censor es, si meliorem mundum, mali omnis expertem, tibi imaginari audes; cum præsens hic, ipsius Dei iudicio *valde bonus*, id est, optimus, adpelletur. Et hæc mundi bonitas,

tas, quam in se habuit, causa obiectiua dici potest, quare Deus mundum condidit; cum diuina benignitas causa quasi determinans fuerit, quæ sui communicatiua, alia etiam entia secum reddere beata voluit. Sed malum illud, quod Deus, per creaturas liberas, mundo introductum iri, certo præuidit, tanquam adhærescens ei vitium permisit, ob infinitam bonorum multitudinem, id ipsum compensantium. Quis enim sanus dubitat, Deum, creatione hac, vias non secutum esse perfectissimas, ad summum & vltimum, quem intendit scopum, qui in gloria ipsius fulgentissima ponitur?

§. IV.

INter difficultates, quæ circa diuinam peccati permissionem oriri

oriri possunt, properante sermone, vnicam adhuc excusiam. Quær: cur potius Deus permiserit malum, quam extraordinaria operatione impediuerit. Hanc, præter alia, diuini Numinis prudentissimam hic fuisse cautionem credo, ne mala admittenda maiora essent, si ea, quæ, præter finem & intentionem eius, obrepererunt, prorsus excluderentur. Fuit itaque tota œconomia Dei permittentis melior, quam Dei absolute impredientis. Et hic vnicus ille casus est, ex obseruatione celeberrimi cuiusdam scriptoris, in quo permittere malum licet. Id enim impium esset cogitare, Deum ex arbitrio quodam, & contra debitum, id est, contra suarum perfectionum dignitatem, minus bonum maiori prætulisse. In quibus autem permissionis huius prærogatiua,

præ

præ impeditioe consistat, meum non est, specialius, hoc loco, exponere; cum ad æstimationem boni & mali hic & illic emergentis, diuersissima obueniant momenta, quæ, tum singulas creaturas, tum mutuum earum respectum inter se, Deumque creatorem, maxime attingunt. Hoc igitur quicquid est, nec a multa die, nec a multa litura natum, sincere Lector, boni consule. Si autem expectationem Tuam nunc non sustineo, dum cœli clementia vires, iustumque otium concedit, meliora Tibi polliceri audeo.



VIRO EGREGIO,
Doctrina, & omnibus quæ Iuuenem
commendant, ornatissimo,
LAURENT. SEENBERG/
Amico honoratissimo.

Vbi primum TUA mihi innotuit familiaritas, & sincerum semel aut sepius declarasti adfectum, statim, nescio quo, interno Vinculo, quoue latente & occulto amore, me TABI obligatum deuinctumque sentiebam. Iam vero addito vtrique familiaritati nostræ incremento iucundo, publice audacterque me tam dextero ILLIENI & Amico sincero plurima debere lubens fateor; cum primis vbi ista bona, quæ antea de Te boni sperabant & prouidebant quasi, manifesta & matura esse, præsens eruditæ testatur dissertatio. Deus summus, rerum nostrarum moderator & arbiter, cuius ex immensa benignitate viuidas ingenii dotes, & corporis bona quacumque, largiori concessa possides manu, is eadem

dem inconcussa seruet & integra semper, ut ita laudum glorieque illius verus sis praeo, Parentum Honoratissimorum gaudium & solamen iucundum! Quod suo reliquorumque popularium nomine vouet,

*TIBI addictissimus
Henr. Zimmerman,
Ostrob.*



and in the year of our Lord
 1584 the first time was
 printed in London by
 Thomas Blount at the
 signe of the Anchor in
 St. Dunstons Church
 Lane.

THE
 HISTORY
 OF
 THE
 REFORMATION
 IN
 ENGLAND
 UNDER
 KING
 HENRY
 THE
 EIGHTH
 BY
 JOHN
 HENRY
 WOOD
 ESQ.



LONDON
 Printed and Sold by
 J. H. B. at the
 Signe of the Anchor
 in St. Dunstons
 Church Lane.